

## DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. VII, VERS. 15

15. Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

16. A fructibus eorum cognoscetis eos; numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittitur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

VERSUS 15.

*Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

1. — Jam de facto cælestis agricola Christus divini verbi sui semen sparserat, priusquam hoc nobis salutare monitum suggereret; at vero quia timebat, ne malignus callidusque inimicus noster sua clam superseminaret zizania, ideo merito nos vigilantes esse monet. S. Apostolus jam pridem quidem Ephesi populos sacratissima Evangelii doctrina imbuerat copiosamque inter illos messem congregarat, sed quia protinus ab illis discessurus erat, ideo salutari hoc illos monito præveniebat, Act. Ap., xx, 28, 29, dicens: *Attendite vobis et universo gregi; ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parentes gregi, et ex vobis ipsi exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se; hos enim, qui alius oves esse videbantur, S. Paulus lupos futuros esse prænosebat, gregem suum devorare conantes: propter quod vigilate, quod idem erat, quod attendite. Unde Auctor Imperfecti, Hom. xix, ait: « Sciens « Dominus, quia non erant manifesti Gentiles, sed « absconditi sub nomine Christiano, ideo non « dixit: Aspice, sed attendite; aspicer enim est « simpliciter videre, attendere autem est attente « considerare; ubi enim certa res est, et indubita- « bilis, aspicitur, ubi autem incerta et dubitabilis, « attenditur. » Paulus de Palatio monitum hoc specialiter ad Episcopos directum esse existimat, quo oculos apertos habere, valdeque circumspiciendum est in eorum electione, quibus invigilandum est prope regimini animarum: « Ilis dicitur: « Attendite, ne falsos prophetas præficialis; cavele, « ne in re tanta, in qua summa rerum omnium*

« consistit, decipiimini; etiamsi qui præficiondus « est, veniat ut ovis, examinetur, an sit lupus rapax « intrinsecus, id est, an quærat quæ sua sunt. » Hujus autem cautelæ pondus et momentum ex pretio et valore conjiciant animarum, qui aliorum regimini et directioni præficiuntur: « Quidni attendent « dum a falsis prophetis, a quibus non corporis « imminet, sed animæ, non temporarium periculum, sed æternum. »

2. — « Dicit attendite, » inquit S. Thomas, in cat., « quia firma tutela salutis est, scire quem « fugias. » Observandum est autem, quod non dixerit expresse, circa quid attendendum sit, sed indefinite dicat: *Attendite*, eo quod per hosce falsos prophetas vel intelligantur hæretici, vel hypocritæ, vel adulatores, vel perversi sodales et seductores, et ideo in omni re cavendum est, habendique sunt suspecti in verbis, in operibus, imo et in bonis ipsorum exemplis, et in quacumque alia re etiam bona, quia in talibus hæc omnia ad fraudem et dolum ordinantur.

A falsis prophetis.

3. — S. Hieronymus ait: « De omnibus quidem « intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant; sed specialiter « de hæreticis intelligendum est, qui videntur continentia, castitate, jejuniis, quasi quadam pietatis « se vesle circumdare, intrinsecus vero habentes « animum venenatum simpliciorum fratrum corda « decipiunt. »

4. — Auctor Imperfecti verba illa de Doctoribus Ecclesiasticis exponit, qui recte quidem docent, sed male vivunt: « De veris Christianis Doctoribus « loquitur, qui Christiani quidem sunt, tamen « peccatores sunt. » Chrysostomus, Hom. xxv in *Matth.*, Christum non de hæreticis hic loqui existi-

mat, sed de illis tantum, qui cum sint intoxicati et infecti interius, exterius tamen pietatem demonstrant: « Qui cum sint vitæ pravitate corrupti, speciem tamen virtutis induti sunt. » Idem Salvator noster in alia quadam occasione apud S. Lucam, xii, 1, nos eodem verbo, *Attendite*, fermentum Phariseorum fugere monet: *Attendite a fermento Phariseorum*; quale autem hoc fermentum, protinus declarat, dum ait, *quod est hypocrisis*. Non solum Prophetæ nomen, sed multo magis vultus externa species, et verba, nostram ei conciliant devotionem; at vero tantò magis cavendus est, quanto fraudulentior est atque perniciosior, dum sub pastoris forma, larvatus accedit, qui revera est lupus; *intrinsecus sunt lupi*. Deus apud Isaiam, xlii, 21, graviter conqueritur, dicens: *Verantamen servire me fecisti in peccatis tuis*; hoc autem in hypocritis ad litteram adimpletur; hic enim utitur Deo, Sacramentis, operibus pietatis, orationibus, jejuniis et quibuslibet aliis, ad cultum divinum ordinatis, ut iniquitatem suam sub sacra hac chlamyde occultet, alii, qui Deum offendunt, instrumentis quidem utuntur ad iniquitates ipsorum adaptatis, verbi causa: vindicativus manus suas sanguine alieno contaminat; avarus extorsiones facit, gulosus crapulam adhibet et ebrietatem; alii vero hypocritæ jejunant, corpus suum macerant, sacramentaliter confitentur et communicant, sequæ totum Deo deditum esse simulat, ut tanto securius se contra Deum armare possit, omnique eo, quod ad majorem est Dei gloriam ordinatum, in offensione ejusdem fomentum abutitur; alii Deum in peccatis et transgressionibus presentem esse nollent; at vero hypocritæ semper vult Deo in fallaciis inimiti, et quasi ab eo portari, ut tanto securius ei peccare liceat. Unde Chrysologus, *Serm. vii*, ait: « Fugientem dum est virus, presilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem « facit reatum. » Quisnam illi fanaticus error futurus esset, si pro salute corporis tui remedio aliquo indigens, in ipsius vicem sumeres venenum; facit hoc ipsum hypocritæ, ac proinde similis est vasi cuidam, in pharmacopolio posito, cui salutaris ejusmodi antidoti nomen est inscriptum, cum intus toxicum plenum sit: « De remediis creat morbos; » dum hypocritam convenis, credis nique, te ad virum quemdam zelo divini honoris et salutis animæ tuæ accensum accedere, cum revera pessimus sit, et sanctitatem fingat, ut pervertat.

5. — Porro major vel minor hujus vitii malitia, sequenti similitudine aptissimo declaratur, dum enim negotiator aliquis terram seu cretam frumento, aut aquam vino commiscet, vel aliam similem fraudem committit, nulli dubium est, quin talis proximo suo dolis suis plurimum nociturus sit: at vero, si pharmacopœus ad infirmum, prescrip-

tam a medico medicinam afferens, eidem artificiose venenum immiscuerit, utique illatum ab eo damnum longe gravius et irreparabilis erit; numquid ita est? Eandem quoque circa hypocritas quosdam reflexionem facere possumus; quod enim aliquis det elemosynam, ad captandam animam popularem, ad conciliandam sibi personæ illius, cujus honestati insidiari intendit, benevolentiam; aut vero quod aliquis Sacramenta frequentet, devotionisque exercitiis sese occupet, ut boni Ecclesiastici nomen et famam sibi acquirat, et sub hoc nomine Episcopatum, vel aliam Prælaturam aut dignitatem acquirere possit, hoc male fieri indubitatum est; sed malitia hæc nullam habet cum perversitate illorum proportionem, qui Sacramentis, quæ vera sunt animæ medicina, abutuntur, ut ad majorem Dei offensam, animæque propriæ perditionem, venenum suum tanto liberius effundere possint; sicut enim nunquam talem ad Communionem accedere videbis, ne tibi de hoc vel illo malo suspectus habeatur, vel ne bonum apud te aut alios conceptum et opinionem amittat, adeoque securus diceret possit: « Sanctitatem vertit in crimen, etc. »

Qui veniunt ad vos.

6. — « Ex seipsis, » inquit Lucas Brugensis, « legitime non missis, » de quibus Deus apud Jeremiam, xxii, 21, loquitur, cum ait: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant*. Albertus Magnus ait: « Veniunt ad vos, non enim expectant, ut requirantur, sed ingerunt se. » Cajétanus similiter inquit: « Ego non mitto illos, sed ipsi ex se veniunt; » unde pessimum signum est, dum quis se in ministerium aliquod intrudit, absque eo quod ad illud invitatus fuerit, aut promotus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittentur? Rom.*, x, 15.

In vestimentis ovium.

7. — Tertullianus a Glossa citatus ait: « Quenam « sunt istæ pelles ovium, nisi nominis Christiani « extrinsecæ superficies? » S. Thomas inquit: « Oves « Christiani dicuntur, vestimentum autem ovile est « species Christianitatis, et simulatæ religionis; » de his Apostolus scribit, quod solo nomine, non vero operibus fideles existant, II *Tim.*, iii, 5: *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes.*

8. — Jansenius per hæc ovium vestes, omne id intelligit, quod cooperari potest ad fingendam et representandam exterius virtutem et sanctitatem, qualia sunt miracula, jejunia, elemosynæ, orationes, continentia, bonorum temporalium contemp-tus, frequentia Sacramentorum, et alia quæcumque, quæ sanctitatem et integritatem præseferunt. S. Thomas, in cat., ait: « Oves sunt fideles: *Nos autem « populus tuus, et oves pascuæ tuæ; vestimentum « eorum sunt jejuniis, elemosynæ, quibus se*

« tegunt; » his igitur vestimentis se contegunt lupi, id est, homines mali, qui gregem Christi decipere, devorare et pervertere intendunt. « Vestimentis ovium, » inquit Cajetanus, « id est, in jejuniis, fletibus, vilibus vestibus, et aliis hujusmodi exterioribus signis virtutum; hæc sunt velut vestimenta ovium Christi. »

9. — Pellis ovina delicata est, cum sit lana tecta, et ideo perversorum præsignat blandimenta et fictiones. Unde Glossa Interlinearis dicit: « Cave, ne vos dilanent blanditiis et simulationibus. » Observatio est S. Thomæ, « quod nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio; nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. » Venenum enim in cibo delicato et sapido alicui porrectum, facilius sese in viscera insinuat. Sic igitur pellis ovina accipitur in vestem, ad aliorum oculos fascinandos et decipiendos, et ad abscondendum speciem lupi, ita quoque jejuniis, orationibus, omniæque alia opera sancta ad occultandam hypericite malitiam et improbitatem ordinantur, quæ bonos decipere nituntur. Unde S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: « A pelle quidem mansueta indui, specie probitatis decipiunt, perniciosum vero impietatis venenum ex dentibus emittunt. »

10. — Jansenius lupum ab ove facillime discerni dicit, tametsi enim lupus ovina se pelle induat, attamen quando ambo hæc animalia vocem suam propriam emittunt, facile, quodnam illorum sit lupus vel ovis, dignoscitur: « Verum quid facias, ubi lupus ovillo vellere, ovilla voce ovem simulans irrepserit in ovile, non ut ovis fiat, sed ut crudeliter oves laniet? »

11. — Paulus de Palatio procedit ulterius, ponderando, quid faciendum sit, quando falsi prophete non vestem ovium, sed pastoris induunt, ut tanto securius in grege stragem moliri possint: « At qui nos, Domine, si cavere hos lupos, veste ovilla contentos, præcipis, quid faciemus, ubi non vestem ferunt simplicium ovium, sed vestem afferant pastorem? Quid enim grex faciet, ubi lupum mitra, baculo, et gremiali viderit decoratum? Facile plane est lupum abigere, ubi se ovem esse dissimulavit, sed quæ ovis contra pastorem insurgit? naturale siquidem est ovi, lupum horrare, pastorem diligere; sed o stuporem Christianorum! o cæcitate! non jam oves fugiant lupos et leones, ovium vel pastorem figura fallentes, imo sequuntur et amant lupos. »

12. — Experientia, prohi dolor, satis demonstrat, quod multi lupi ovina se veste contegant, id est, quod multi mali, perversi et vitiosi homines familiariter cum Religiosis et viris sanctis conversentur, eosque benigne recipiant, elemosynas largiantur, illorum se orationibus recommendent, filiationibus Religionum spiritualibus se communiunt, atque in Sanctorum advocatorum suorum intercessionibus et

devotionibus magnopere confidunt, sed quoniam putas fine id faciunt? ut in mala sua vita continentur, ut in dissolutionibus suis prosperati longius vivant, ut in iniquas extorsiones et inhonestas societates et consortia diutius continuare possint; devotionem et pietatem extrinsecus exhibent, sed non alio fine, quam ut in impietate sua longius perseverare valeant.

13. — Paulus de Palatio super hæc verba aliam quandam adducit ingeniosam observationem: « Veniant, » inquit, « in vestimentis, non in fructibus ovium; oves omni ex parte sunt utiles, simplices, patientes, sociabiles; isti vero, qui veniunt ad vos, omni ex parte sunt lupi, omni ex parte rapaces. » Non acquiescit Deus exterioribus, sed una cum his simul vult, ut interiora exterioribus conformia sint, et respondeant. S. Paulus in principio Epistolæ ad Romanos, 1, 9, servum Christi se appellat, et paulo post, æternam Veritatem in testimonio invocando, dicit: *Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo*; quoniam obsecro mysterio verbum hoc addit: *In spiritu meo*? Satis utique manifestum erat, eum totaliter divino servitio fuisse deditum; attamen subjungit: *In spiritu meo*, ut Hugo Cardinalis opinatur. « Contra hypocritas, qui tantum corpore serviunt; » et S. Anselmus ait: « Quia non per simulationem illi famulatum exhibeo, sed quidquid foris bene erga servitutum ejus operor, hoc intus in voluntate cordis similiter facio. » Eadem prorsus est proportio inter virtutem veram et fictam, quæ cernitur inter naturam et artem; natura in productione hominis, a corde intimiori hominis parte incipit, postea vero ad omnes alias ejusdem corporis partes internas, ac demum ad externas ultimo loco transit; ars autem interiora totaliter omittit et negligit, nec ad alia sese applicat, quam solum ad exprimendam affabre apparentiam exteriorem. Hujusce igitur artis proprietatem imitantur hypocritæ, qui probam et bonam conscientiam, corporis puritatem, virtutes et actus animæ interiores nihili faciunt, imo contempnunt, et abominantur, et soli student perfectioni et austeritati extrinsecus apparenti: *Ut videantur ab hominibus; homo enim videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor*; Deus enim noster primo omnium loco cor nostrum querit, et desiderat: *Probe, fili, cor tuum mihi*, et quævis anima in tantum Deo grata esse noscitur, in quantum illa interius pulchra et speciosa esse videtur: *Omnia gloria filie Regis ab intus*. Secundo vero loco, species exterior ab eodem requiritur: *In fimbriis aureis circummembra varietatibus*. Est qui nequitur se humilitat, et interiorum ejus plena sunt dolo; quot sunt, qui sub quodam profunda humilitatis pallio subtilem et latentem quandam abscondunt et sectantur superbiam et arrogantiam! Aureum est illud animæ electæ gestum a Deo monitum, *Cant., viii, 6: Pone me ut*

*signaculum super cor tuum*; ecce tibi perfectionem et sanctitatem internam: *Ut signaculum super brachium tuum*; ecce tibi operum honorum exteriorum correspondentiam. Ad hoc ut quis vera ovis esse censatur, nec lana sufficit, nec pellis, sed insuper fructus desiderantur ovinae naturæ correspondentes, ejusmodi sunt lac, partus, et similia alia: ita in vere electis sanctitas forinsecus apparens non sufficit, nisi electi vera et solida sanctitas adsit, quæ vere sit radicata in corde.

#### Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

14. — Per hoc illi denotantur, qui animas seducunt, quia lupi mortem gregi inferunt; ita enim utrasque Brugensis de Doctoribus perversis loquitur: « Se simulant arctæ viæ Doctores, et ductores, cum ad latam abducant: *Lata via autem est, ut est apud S. Matthæum, quæ ducit ad perditionem.* »

15. — S. Ambrosius de hisce lupis ita scribit: « Lupi bestie sunt, quæ insidiantur ovibus, absentiam aut desideria pastoris explorant, ovium guttur invadunt, ut cito strangulent; tum præterea, si quem priores hominem viderint, vocem ei quædam naturæ vi eripere memorantur. »

#### Additiones.

a. — *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos*, etc. Albertus Magnus hic declarat, quoniam sint illi falsi Prophetæ, a quibus cavendum esse Dominus monet. Propheta enim dicitur falsus, tum a falsitate doctrine et mendacio, tum ab intentione fallendi et seducendi; de quibus inquit Propheta Jeremia, xxii, 14: *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium et iter mendacii*. Et hi maxime cavendi, quia mendacia eorum animarum causant perditionem. Rabanus, locum illum *Sapientie*, i, 11: *Os quod mentitur occidit animam*, in hæc verba explicat: « Occidit os mendax animam ipsius mentientis, quia mucrone peccati illam transverberat; unde sumptuose cavendum est omne mendacium. » Regius Psaltes, *Psal. v, 7*, primo dicit: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*; et postea immediate subjungit: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos*. Quibus verbis crudelios, sanguinarios homines eodem prorsus loco habet, quod mendaces et utrosque Deo abominationi esse dicit. Unde necesse est asserere mendacium nequaquam levem culpam esse, quando quidem tam severa ei pena intentatur; David enim aperte dicit: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et nimirum in horrore et abominatione a nobis habeatur quodvis mendacium, absque ulla illius in officiosum et perniciosum facta distinctione. Apud Oseam, iv, 2, dicitur: *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt*. Ecce tibi

quales mendacium sodales et comites ex Oseæ mente habeat.

b. — Hoc unicuique fidelium esse dictum: *Attendite a falsis Prophetis*, constans est Patrum sententia, Chrysostomi, Hilarii, Anselmi et aliorum. Palatius tamen vult, hanc Domini admonitionem ad Episcopos et Prælatos spectare, ut videant et considerent onus quod sibi incumbit attendere gregi suo. In Ezechiele Deus dicit: *Speculatorem dedi te domui Israel*. Si vigil ille, qui ad periculosa: cujusdam plateæ custodiam collocatus est, dormiat, superveniatque inimicus, occidens et mactans cum reis insontes, ejus negligentia totius ruinæ causa existit, ejusque vigilia bona alio secure et in utramque aurem dormire facit. Hugo Cardinalis verba illa: *Redde rationem villicationis tuæ* ponderans ita scribit: « Quælibet a quolibet Prælo triplex quaestio. Prima erit: *Amice quomodo hæc intrasti?* id est, in prælationem quis te intro duxit? Nummus vel Christus? *Ad quid venisti?* ad honores, vel onus? Per quam portam intrasti? *Charitatis aut cupiditatis?* Postea ad secundum examen descendit, quod circa vitam, quam prælatore duxerunt, instituetur: « *Quomodo vixisti?* scilicet sicut Episcopos, vel sicut rusticus? Sicut homo, vel sicut equus? Sicut pastor vel sicut pecus? » Tertium examen habebitur circa regnum quod administrarunt: « *Quomodo rexisti?* In quibus pascuis gregem meum pavisit. Quantas vigiliis et laboribus pro grege meo sustinuit? Numquid igitur jure merito stultus et deliros censet illos, qui superioritatem ambiunt, per quam tam rigoroso examini subjiciuntur: *Stultus homo plaudit manibus, cum sponderit pro amico suo*. *Prov., xvii, 18*. Quod si quis ex eo letaretur quod variis pensionibus, de centenis vel ducentis scutorum millibus pendendis fidem suam obstrinxisset, numquid is delirare censendus esset? Longe igitur amentiones sunt, qui ex solius ambitionis instinctu, se ad reddendam Deo pro centenis, vel ducentis animarum millibus, quæ sub Episcopatu illo quem ambitione sectantur, exactissimam et rigorosissimam rationem obstringunt.

His verbis, Dominus Episcopos ac Prælatos ilerum monet, ut videant, ac considerent, quos rectores ac ministros præficiant suis Ecclesiis, ne lupum pro pastore, qui pravo suo exemplo oves Christi dirumpat, ac dilaceret. Magna enim est Ecclesiasticorum obligatio proximis sæcularibus bonum præbendi exemplum, ut quod verbis docent, operibus confirmetur. Hugo de S. Victore causam assignat, cur multi Prælati subditos suos libenter quidem instruere vellent, sed os stium aperire non possunt. Ast qua de causa id facere nequeunt? Num forte muti sunt? Aut vero lingua balbutiunt? Audite ipsissima ejus verba: « Nonnunquam, » inquit, « cupit Prælatum docere sed non potest, conscientia

« enim remordente et os ejus obruente. » Salvator noster discipulis suis dicebat : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Circa quae verba Cajetanum optime notat, Christum non dixisse : *Rogate Patrem meum, quia Pater meus agricola est, ut mittat Scribas, Doctores legis, Sacerdotes, sed ut mittat operarios.* Quia tametsi magnus sit numerus Prædicatorum et Ecclesiasticorum : « Pauci tamen sunt operarii in messe Christi ; « pauci, inquam, quia pauci sunt, qui vita et doctrina studeant salutem animarum. » S. Isidorus optime declarat, quod veritas quantumvis evidens et plausibilis sit, apud auditores fidem amittat ; dicit enim : « Interdum Doctoris vitio etiam ipsa verax doctrina vilescit, et qui non vivil sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contemptibilem facit. »

e. — Non sine ingenti mysterio mandat Dominus non aspicere falsos Prophetas, sed attendere ab eis, D. Chrysostomus, in *Imperf. Hom. xix*, diligenter hoc observavit : « Sciens Dominus, » ait, « quia non erant manifesti gentiles, sed absconditi nomine Christiano, ideo non dixit, aspiciat, sed attendite. Aspiciere eum est simpliciter videre ; attendere autem est caute considerare. » Quia autem isti Prophete dissimulato habitu veniebant, ita ut ad eos magna sagacitas requireretur deprehendendos ; ideo attentionis verbo usus est, cum in hoc negotio seductionis per mala exempla, magna cautela et sollicitudo sit adhibenda. Illa enim laquei sunt demonis, quibus animas deprædat. Inimicus infernalis quondam ad expugnandum Salvatorem, omnes vires suas adhibuit ; quem quia in deserto vincere non potuit, ad illum impugnandum, aliud tempus opportunius expectavit ; dicit enim S. Lucas, iv, 13 : *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Quod tempus fuit nox Passionis ejus, in qua Christus ait ad Apostolos, *Luc., xiii, 31 : Ecce diabolus expetivit ut eribraret vos sicut triticum ;* et ideo Interlinearis inquit : « Usque ad tempus Passionis, quando non tantum de dolis, sed aperte impugnavit. » Pro hoc autem certamine, machinam quandam adaptavit, quæ ex illo lapide fabricata fuit, qui a S. Petro appellatur *lapis offensivus et scandali.* Quando Redemptor noster in conspectu Caiphae graviter adeo colaphizatus fuit, cum indignatione respondit, *Joh., xviii, 23 : Si mole locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, cur me cædis ?* Que Christi indignatio non exiguum nobis admirandi causam præbet, nam Propheta Evangelicus, *Isa., liii, 7, jandum de illo prædixerat : Tanquam agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum.* Ad hæc quot calces, pugnos, stimulos, aliasque similes percussiones quas Evangelistæ non referunt, verisimile est, ei in via, ab horto Gethsemani, usque ad Caiphae palatium, fuisse inflctas ? Et tamen

ad tot flagellorum percussiones, ad tot spinarum transfixiones, clavorumque perforationes, os suum non aperuit ; ad tot colaphos, inter quos derisus fuit a dicentibus : *Propheta quis est qui te percussit, omnino tacuit et solum in hac occasione, ab indignatione se continere non potuit.* Augetur hæc difficultas, si consideretur, quod Christus ipsemet in S. Matthæo, v, 39, et in S. Luca, vi, 49, paulo ante suis præcepit, dicens : *Ego autem dico vobis, nolite resistere malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram ;* quomodo igitur ad invicem concordant, cum Jesus, qui, ut S. Lucas ait, *cepit facere et docere, hunc colaphum accipiens, non solum alteram maxillam non præbuit, verum etiam percussori hanc acceptam contumeliam cum indignatione improperavit dicens : Si autem bene, cur me cædis ?* Multæ porro tam quoad litteram, quam quoad spiritum, huic difficultati reddi possunt responsiones, et quibus nos sequentem solum adducemus. S. Augustinus et alii, percussorem hunc eundem autumant fuisse Malchum cui succisam in horto auriculum, cum evidenti miraculo, restituerat Dominus ; hic ipse namque satellitum illorum dux erat, contra quem S. Petrus plus zelo quam ferro armatus, ut insolentiam improban reprimeret, insiluit, seque vindicavit. Quoniam usque ad tempus illud, tanta in fama universalius erat Christi sanctitas, irrefragabilis miraculorum multitudo, doctrinæ integritas, sequacium copia, beneficentiæ abundantia, siquidem transit *benefaciendo, ut ipsimet implacabiles inimici ejus reverentia ipsum prosequerentur et honore ;* unde et quidam justitiæ ministri, quos auctoritas publica abegerat manus ei injicere nullatenus præsumperunt : *Volebant apprehendere eum, sed nemo misit in eum manus ;* alias quoque : *Quærebant eum apprehendere, et nemo misit in eum manum.* Dietus Malchus, primus omnium Christum comprehendere præsumpsit, reliquis satellitibus idem faciendi, Salvatorem ligandi, vinculisque oerandi, aditum præbens et exemplum. Neque tamen hic sacrilegio hujusmodi lemeritis substituit, siquidem in summi Pontificis, majestatis thronum considentis, presentia, nec non coram synagoga Principibus, Sacerdotibus, Scribis, Phariseis, Senioribus, Magistratibus aliisque omnibus, mansuetissimo Salvatori insultare gaudentibus, tam ignominiosum, tantoque circumstantium applausu, Christo colaphum impingere ausus fuit ; atque ita omnibus aliis illusionibus, ludibriis et quantumcumque ignominiosis insultibus, scilicet oculorum velationi, barbæ evulsioni, amictui fatuo, flagris majorum propriis, derisorie purpurae, similibusque aliis cachinnis et subsannationibus viam aperuit planissimam. Ideoque doctissimus Salmeron ait : « Fuit gravis hæc injuria, quia prima fuit et aliis audaciam idem faciendi præstitit. » Conveniens itaque erat ut

Christus, qui *omnia in sapientia fecit, indignationem aliquam perhiberet, ut nos doceret, quantum exacerbetur contra illos qui primum malum dant exemplum, viamque aperiant reliquis ad flagitia pessima.* Præterea etiam ut nos disceremus, astutissimum inferni serpentem, eum in instrumentum suum adhibuisse, ut maledictam illam colluviem animaret, eique audaciam adderet, ut innocentissimum Agnum, juxta vires suas tribularent et discernerent ; quod ut verum fuisse dignoscatis, notetis velim Filium Dei, tunc et non ante, hujusmodi fecisse declarationem : *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.*

d. — Inde etiam Dominus sollicite jubet nos a falsis istis Prophetis attendere, quia sua turpia et iniqua facta, quæ exhibent, tanquam lupi rapaces astute, ac facta simulatione rectæ et bonæ intentionis volunt celare, exterius veluti quemdam animi candorem, ac simplicitatem ostendentes in vestimentis ovium, speciem ferentes, tanquam solliciti de tua salute qui te maxime volunt perdere et ideo sollicite jubet te Dominus attendere, id est, omnem vigilantiam adhibere, quia fietio est et hypocrisis, quam difficillimum est a veritate discernere. Sic enim pariter et apud S. Lucam, xii, 1, vitium hoc fermento assimilians, idem adhibet verbum, inquit : *Attendite a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis.* Similiter, in *cap. xx, 46, discipulos suos præmunire volens, ut caute sibi ab hujus vitii seculo prospicerent, idem verbum attendite, subinfert, dicens : Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, etc., simulantes longam orationem.* S. Paulus post suam a noviter conversis fidelibus discessum futurum esse prædicans, ut in gregem suum homines subingrediantur hypocrite, idem usurpat verbum, *Act., x, 28 : Attendite, vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Ego scio, quantum intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos.* S. Matthæus, S. Marcus, S. Lucas, de hoc hypocrisis vitio tractantes, sæpius Christum introducunt hoc verbum, *caute, repentem.* Franciscus Toletus, super Lucam scribens, verbum, *attendite,* sequenti glossa illustrat, inquit : « Cauti estote et adversus ille hypocrisis istorum, quæ est veluti fermentum ; hoc enim latet intra massam, et occulta actione et virtute, totam corrumpit. Tales sunt isti, qui etiamsi videantur exterius justi et zelam religionis et legis præterere, tamen eorum malitia latens et occulta est et alios corrumpit. » Atque ideo ad pestem hanc agnoscendam, discernendam et fugiendam, homo magna opus habet cautela et circumspectione ; siquidem homo solum videt id quod exterius apparet. S. Bonaventura, super illa verba Psalmista, *Psal. xc, 6 : A negotio perambulante in tenebris, inquit : Hypocrite bene ambulant in tenebris, nam abscondunt quod est*

« et mentiuntur quod non est. » Idem quoque alibi, vitium hoc definitis, ait : « Hypocritis est vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. »

e. — Vincentius Bellocensis rationem assignat, cur hypocrite ab incarnata Sapientia lupi assimulentur. « Dicit Aristoteles in libro de natura animalium, quod lupi Africani, sibilos pastorem fingunt, et eos oves esse pastores credunt, et ad eos conveniunt, et ipsi eas postquam tenerint diripiunt. » Quot sunt qui fingere noverunt vocem pastoris illius, qui de se ait : *Ego sum pastor bonus, ut tanto liberius innocentem gregem dilaniare possint.* Idem quoque auctor aliam quandam adducit similitudinem, ex qua perspicue cognoscere possumus, quam facile in discernendis hypocritis decipi et falli possimus ; dicit enim : « Sunt similes arboribus Sodomorum, de quibus in historia scholastica dicitur, quod ferunt juxta mare mortuum a poma lucida apparentia exteriori, sed cum matura creduntur et aperuntur, scintillis plena inveniuntur ; sic opera hypocritarum, quæ videtur modo vivo, inveniuntur coram Deo et Sanctis, a morte plena. »

f. — Etiam dæmones per similes falsos Prophetas intelligi possunt, qui sæpissime nobis loquantur, ut decipiant, et sæpe veniunt induci pello ovina, dum malitiam suam sub pallio virtutis et sanctitatis contengendo, in Angelum lucis se transformant. Apostolus de quibusdam lamentans, qui se apostolicos jactabant, ut populum seducerent, inque suam attraherent sequelam, ita sermocerat, *II Cor., xi, 14, atque dicitur : Non mirum ; ipse enim Satanas transfiguratur se in Angelum lucis.* Non est ergo magnum, si ministri ejus transfiguretur. Quod hominum genus Tertullianus, de *Penit., 6,* his maxime notabilibus perstringit verbis : « Quorum individua cum diabolo amicitia est ; quorum penitentia nunquam fidelis. » Quamvis enim peccatores alii pariter cum dæmonio fœdus ineant, nihilominus per penitentiam multoties contra eum rebellant ; ast tale quid nunquam ab hac perversa sperari potest generatione, « quorum penitentia nunquam fidelis. » Nunquam illi a dæmonio separantur ; quorum « individua cum diabolo amicitia est. »

Certo certius, si primi parentes nostri sibi Luciferum consultorem esse intellexissent, nunquam nec pomum attractare, nec aures suggestui præbere præsumpissent, utpote quem Dei et hominis venerant inimicum ; delusi tamen fuerunt, quia consilium hujusmodi credebant sincerum, et a bono derivatum amico ; ideoque S. Bernardus ait : « Quam incongrue simplicitati dupliciter admisceatur ? quam indigne tali fundamento talis structura committitur ? Hujusmodi sibi versutiam « serpens induerat, cum se, ut deciperet, consiliarium exhibebat, simulabat amicum. »

Quis Ecclesie perniciosior exitit, quam Julianus

## VERSUS 16.

Apostata, a Satana in principale electus instrumentum, ad concutiendam Apostolicam navim? Sacrilagus iste, ut Constantii sese gratiæ insinaret, capillos sibi abscedit fecit, clericatum assumpsit, sacros populo colligebat libros, qui ab unguiculis a gentili quodam viro in paganismo eruditus fuerat; verumtamen ne ullam Imperatori ingereret suspicionem, in religionis Christianæ operibus sese exercebat, templa ædificando et martyres honorando; interim et cum incantatoribus, magis, necromanticis famosioribus conversabatur familiaris, ea tamen semper circumspectione, ut sub pelle ovina, rapacitatem obtegeret lupi.

g. — Non leones, non tigres, non ursos, quamvis sint sævissimi, adducit Dominus in exemplum, sed lupos apponit; quamvis enim alia animalia reperiuntur robustiora et velociora, tamen lupus inter omnes, sævitiæ ac prædæ est maxime deditus, ita ut per suam insidientem voracitatem nunquam satietur, sed semper struendis incumbat insidiis, ut dilaniare possit. Lupus hic non incongrue nobis occasionem peccati denotare poterit, quia illæ semper insidias struunt, et fomentum sunt, et incentivum peccati. Proinde semper attendere et nunquam nobis in iis fidere debemus. Dionysius Carthusianus dicit: « *Qui amat periculum, id est, vitium, seu peccandi occasionem, in illo peribit, id est, damnationem incurret, juxta illud Psalmi: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam; nec potest peccata evadere qui non curat occasiones effugere.* » Tantum autem abest, ut pericula peccandi, id est, peccati incentiva, commoditates et opportunitates detestemur ut easdem potius omni studio et sollicitudine quaeramus et consecutur.

h. — Mandat Dominus, ne demus sancta, id est, sacramenta, res divinas, arcana sacra Scripturæ, canibus et porcis, hoc est, obstinatis et perversis hominibus. *Et conversi dirumpant vos*, hoc est, insurgentes contra vos, suis iniquis factis vos lacerant ac membratim decerpant. Et tamen ab istis crudelibus persecutionibus, non mandat Dominus nos præcavere, sicut hic præcepit a lupis, seu falsis Prophetis. Rationem dat D. Ambrosius, *lib. VI in Hexameron, cap. vi: Attendite vobis a falsis Prophetis; illi enim animam debilitant,* ait Ambrosius. Isti falsi Prophetae, seu lupi rapaces, inferunt nocentem animam, seducendo a veritate; at canes et porci dirumpunt vos, hoc est, vestrum corpus lacerabunt et in frusta cadent; ideo non ab istis sed ab illis jubet nos præcavere. Quia bona spiritualia animæ super omnia temporalia corporis bona sunt omni animi conatu affectanda et procuranda a nobis qui Christi sequimur vestigia. Indecens est enim quod corpus animæ præponatur.

*A fructibus eorum cognoscetis eos: nunquid colligunt de spinis veas, aut de tribulis ficus?*

*A fructibus eorum cognoscetis eos.*

1. — Et ideo saluberrimum est illud S. Joannis monitum, I, IV, 1, dicentis: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.*

2. — S. Bernardus, *Epist. cxxviii*, ait: « Non ex foliis, neque ex floribus, sed ex fructibus arbor bona malve dignoscitur; » et quidem divus Chrysostomus hypocritas specialiter ex verborum blandimentis dignoscendos esse dicit: « Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda. »

3. — Jansenius hoc loco querit, quomodo modo hi falsi et ficti prophetae, dum pelle ovina amicti comparent, dignosci ab aliis possint, maxime cum de absconditis et internis homo judicare non possit? Et respondet, quod, tametsi hi lupi se abscondere et occultare moliantur: « Tamen facile deprehendi poterunt ex aliquibus eorum fructibus, quamquam non ex omnibus; » duo autem specialiter considerata esse dicit, scilicet doctrinam quam docent, opera item et mores, quibuscum vivunt. Circa doctrinam examinetur, an solida sit, ut martellum sustineat, sitque sacrorum Doctorum dogmatibus per omnia conformis: « Videndum, num conveniat cum recepta veritatis doctrina, ad quam tanquam ad lydium lapidum, omnium doctrina examinari et probari debet. » Opera autem discernim hoc longe facilius et clarius indicant. Lucas Brugensis ait: « *A fructibus cognoscetis; » opera ergo, et non verba, discernunt inter filios Dei et filios diffidentiae.* »

4. — S. Thomas ex adducto quodam Apostoli testimonio, malæ arboris fructus describit: *Manifesta sunt opera carnis*, inquit Apostolus, *Gal., v, 19, que sunt fornicatio, immunditia, etc.*, quo eodem in loco arboris bona fructus recensere pergit, dicens: *Fructus autem spiritus est caritas, quodiam, etc.* Quod si in ejusmodi Prophetis hi fructus deprehendantur, inquit Albertus Magnus, « cognoscimus eos esse veros Prophetas, esse bonas arbores: » si autem fructus hos non videmus, attendamus « diligentius, quia vel aliquid operum carnis; quorum ibi meminit Apostolus, vel saltem humana cupiditas, aut gloria, illorum fructus invenietur. »

5. — S. Thomas in ea est opinione, quod nemo fictionem suam ita abscondere possit, quin ex aliquo saltem indicio facile discerni queat. « Dicendum, quod potest vix aliquis hypocrita esse commpositus, quod non appareat aliquid malitiæ, vel verbo, vel facto, *Prov., xxvii, 19: Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* » Dionysius

Carthusianus multa ejusmodi signa adducit: « Inveniantur, » inquit, « vana religiosi, non humiles, sapientes in oculis suis et proprii sensus, non veraciter patientes, sed pleni privato amore » et aliquibus singularibus vitiis deformati. »

6. — Jansenius multa alia indicia considerat: « Si quis, » inquit, « vitam et mores eorum attentius observet, reperiet eos sibi placentes, gloriæ sitientes, assentatores, invidos, maledicos et obtractatores, nonnunquam et ventri deditos, et suis temporalibus commodis servientes, et omnino suam negotiorum agentes potius quam veritatis. »

7. — Paulus de Palatio ad idem se reflectit, quod nos superius circa illa verba: *Veniunt ad vos, insinavimus*; dicit enim: « *Veniunt ostentantes pellem ovinam, plene eos dignoscere docuit; si quidem veri Pastores non ipsi venient, sed mittuntur, neque veniunt ad nos, sed lubentius se abscondunt, neque ostentant pellem ovinam, imo gaudent, si non ita pellis videtur; » adducitque Christi Magistri nostri exemplum, qui se ab æterno Patre suo missum esse dixit: *Qui misit me Pater*; et quando Apostolos suos misit, dixit illis: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos; nemo assumpsit sibi honorem, nisi vocatus et missus; »* at qui lupi sunt, « veniunt ex se, de quibus sæpe dicit Dominus, *Jerem., xxiii, 22, quod eos ipse non miserit.* »*

8. — S. Thomas ejusmodi personatas oves ex duobus præcipue signis dignosci posse dicit: « In his, » inquit, « quæ subito agenda occurrant, quia in his, quæ cum deliberatione quis facit, cavet sibi; item in tribulationibus, *Ecclesi., vi, 8: Est amicus secundum tempus, etc.* Item manifestantur, quando non possunt consequi quod volunt. »

9. — Hugo Cardinalis circa qualitatem fructuum multa consideranda esse dicit: primo enim requiritur in fructu utilitas, unde salices et quercus arbores steriles appellari solent, quia fructus ipsarum nobis sunt inutiles: « Quod est contra otiosos, qui senescunt et vagantur. » Debet quoque fructus integer esse, quia si intus verminosus sit, licet forinseus pulcher et gratus esse videatur, non est bonus: « Quod est contra hypocritas, quorum exterius vita est pulchra, interior autem est vermiculosa conscientia et plena nequitia. » Debet idem fructus habere saporem, « id est, ordinabilis et sociabilis in conversationem, quod est contra accidosos. » Debet præterea esse sanus, « ut nihil dicas, nihil agas, quod non sit ad honorem Dei » et instructionem proximi, quod est contra dissolutos. « Denique fructus diu durare et conservari posse debet et non solum hyberno tempore: « Quod est contra luxuriosos, qui nunc florent, tunc ardebunt. »

10. — Fructus bonæ arboris est, quando opera-

tur conformiter illis, quæ docet alios. « Fructus Prædicatoris, » inquit Paulus de Palatio, « sunt opera ejus, maxime, si quæ dicit, facit, » adducitque illum Psalmi LXXVII, 72, versum: « *Pavit eos in innocentia cordis sui et in intellectibus manuum suarum deluxit eos:* » id est, is Prædicator verus est, qui in innocentia pascit, quique pascit in ea intelligentia et doctrina, quam manus sue peperrunt, id enim est in intellectibus manuum suarum, id est, operum; » falsi vero prophetae contra facile agnoscentur, quando bene dicunt et male operantur. Unde Eusebius Gallicanus inquit: « Qui in verbis non discernuntur, in operibus comprobentur. »

11. — Cajetanus quoque se reflectit ad verba illa: *A fructibus eorum*, et distinguit inter fructus, ut pateat, quinam sint fructus eorum; dicit igitur, quod frequens populi concursus, conversio peccatorum ad penitentiam, prædicatione ipsorum causata, et alii effectus similes non sunt fructus eorum: « Isti sunt fructus fidei et devotionis audientium, et non propria Prophetarum; similiter quæ dicuntur ex Moysi et Prophetarum, non sunt eorum, sed cathedræ fructus, similiter prophetaræ, et demones ejicere, et miracula facere vera in nomine Jesu Christi, non sunt fructus eorum, sed gratiæ gratis datæ; stant enim hæc gratiæ cum peccato mortali, cum inimicitia eorum ad Deum, ut in hoc capite Dominus subjungit. »

12. — Chrysologus, *Serm. ix*, per horum fructuum maturitatem in confessione fidei perseverantiam intelligit: « Flores multi multitudinem fructuum pollicentur, sed examinati ventorum flabris, ad fructum paucissimi perseverant: sic credentes in Christo multi in Ecclesia videntur in pace, ubi autem persecutionis procella inflatur, pauci Martyres reperiuntur in fructu. »

13. — Auctor Imperfecti, *Hom. xix*, ait: « Fructus hominis est confessio fidei ejus et opera conversationis ejus. »

14. — Paulus de Palatio per fructus vermiculosos intelligit profanitates, fabulas, ornamenta et colores rhetoricos, ad gustum et prurium auditorum in prædicatione Evangelica ordinatos: « Verus a falso Prædicatore, per verbum prædicationis suæ erit discernendus; verba veri Prædicatoris sunt gladius acutus, attingens ad divisionem animæ et spiritus; non sunt talia verba falsi prophetae. *Psal. cxviii, 85: Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua, id est, narrat velut fabulas, ex quibus gustus dulcescit, non ex quibus animus gladio penetrante discedit.* »

*Nunquid colligunt de spinis veas, aut de tribulis ficus.*

15. — Litteralis horum verborum qui sit sensus optime his verbis explicat Jansenius: « De

« malis hominibus sæpe percipitur doctrina veritatis. Domino præcipiente de Scribis et Phariseis: « *Omnia quæ dicunt, facite, secundum vero opera eorum nolite facere;* » contingit enim nonnunquam, quod etiam vitis aliqua cum botris suis inter spinas cernatur plantata et tunc consilium est S. Augustini: « Botrum carpe, spinam cave; » decerpere uvas, sed fugite puncturas; proficiatis ex veritate et dogmatibus, quæ auditis, non tamen imitemini perversos ipsorum mores. Interlinearis ait: « *Ut si super eos pendeant vites, non tamen de eis, quia non sunt in vite.* » Uva non est agnoscenda ex sepiibus, tametsi iis nonnunquam implicita esse videatur: ita quoque si doctrinam audiatis bonam et sanctam ab hominibus malis, illa non ipsis, sed veræ viti attribuenda erit, quæ de se dicit: *Ego sum vitis vera; super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei, quæcumque dixerint vobis, servate et facite;* singularis enim cathedræ illius prærogativa erit, sicut etiamnum cathedræ S. Petri privilegium, quod ex illa semper veritas, nonnunquam vero falsitas prædicaretur, licet per os hominum vitiosorum et hypocritarum. Janensius ex adducta auctoritate quadam S. Augustini declarat, quod si nonnunquam is, qui male vivit, prædicatione et doctrina sua sit utilis, id non sit æstimandum opus ejus, sed divinæ providentiæ. « Impii enim, per divinam providentiæ, legem Dei prædicantes, « possunt esse audientibus utiles, cum ipsi non sint sibi utiles; non ergo qui eos audiunt et faciunt quæ ab eis dicuntur, de spinis colligunt uvas, « sed per spinas de vite legunt uvas, tanquam si « manum aliquis per sepe mittat, aut certe de vite, quæ sepi fuerit involuta, uvam legal, non « spinarum est iste fructus sed vitis. »

**16.** — Paulus de Palatio verba hæc de Prædicatoribus Evangelicis exponens, dicit, qualis debeat esse uva et quales ficus, qui proferendi sunt, ostenditque hosce fructus a falsis prophetis sperari non posse, eo quod instar spinarum et stirpium steriles sint et inutiles; idque explicat per hoc, quod de exploratoribus terræ attulerunt: « Significantes, quod Prædicatores, qui exploratores nostri sunt, patriam celestem valde longe explorarunt, « et inde afferunt verba et opera, quæ dulcedinem celestem referant, afferunt charitatem quamdam celestem, quæ in uva significatur, dulcedinemque celestem, qualis in nostro deserto non invenitur, per ficum significatur; cum ergo oves sentiant in Prædicatoribus pastoribus celeste nonnihil, quale in hac terra non reperitur, indicium est Prædicatoris Evangelici; » adducitque S. Pauli exemplum, qui sancte gloriabatur, *I Cor., II, 4: Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus,* « quasi dicat: Non terrena locutus, sed plane celestia. » Et alibi,

*II Cor., XIII, 3: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus.*

**17.** — S. Thomas super Matthæum ait: « Per uvas, ex quibus fit vinum, intelligitur spiritualis lætitia, quia *vinum lætificat cor hominis;* per ficus « dulcedo Ecclesiasticæ pacis, quæ est charitas, « hæc non possunt nasci de tribulis, id est, peccatoribus, quia *spinus et tribulus germinabit tibi.* » *Gen., III, 18.*

**18.** — Manifestum est per experientiam, quod ericius sive porcellus spinosus, in autumno sub arbore ficus, unde maturiores fructus nonnunquam præmature decidere solent, sicut et in vineis super uvis deciduis sese volvendo et revolvendo, eosdem fructus spinis suis, quibus toto corpore armatus est, transigere et fortibus suis ad depascendum afferre solet, de quibus proinde verificatur quod *colligunt de spinis uvas, de tribulis ficus;* quod cum experientia teste verissimum esse constet, in sensu morali simile quid dici poterit de puncturis austeritatum corporalium, ciliciorum, disciplinarum, jejuniorum, vigiliarum, de mortificationibus item interioribus, de serumnis et adversitatibus, per spinas et tribulos denotatis; ex his namque in animas tribulatas ingens redundat suavitas et consolatio spiritus. Unde David fatebatur, *Psal., XCII, 19,* dicens: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

**19.** — Auctor Imperfecti per uvam, Christum intelligit, quia sicut botrus ex palo seu ligno suspensus hæret, multaque grana in se complectitur: « Sic et Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adjunctos; similiter et sicut ficus « multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic et « multos fideles quodam dulci charitatis amplexu « una tenet Ecclesia et sunt in ficu signa hæc, « charitatis quidem in dulcedine, unitatis autem in « conjunctione granorum, sicut scriptum est, *Psal., LXVII, 7: Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo.* In una quidem est patientiæ signum, quia « in torcular mittitur; gaudii autem in spe, quia « vinum lætificat cor hominis; sinceritatis, quia « non est aqua permixtum; de his scriptum est, *Gal., V, 22: Fructus autem spiritus, charitatis, gaudii, etc.* » Dum autem declaraturus est, quinam spinæ dicendi sint, subjungit: Tales esse hæreticos; unde colligitur, quod proferre nequeant fructus ecclesiasticos: sed quid proferunt? « Vulnere, tribulatione et cætera mala; » sicut enim spinæ quæcumque ex parte contrectantur, nos vulnerant, manusque nostras eruant, ita quoque servi demonis, quæcumque ex parte considerantur, iniquitate plebi esse deprehenduntur, quod sequenti modo varie exemplificat: « Si loquitur, » inquit, « in dolo loquitur; si tacet, male cogitat; si irascitur, insanat, si patienter agat, tempus expectat nocendi

« et opportunitatem considerat, quando nocet; si « male agit, non erubescit; si bene facit, ad vanam « gloriam propter homines facit; quomodo proferat bonum fructum, ejus radix diabolus est? « sub arbore bona et bestię et animalia requiescunt, sub spina autem nullum animal requiescere « potest, nisi tantummodo serpentes. »

**20.** — Spinæ certum sunt symbolum peccatorum, quæ cor peccatoris per remorsum et malæ conscientię synderesin transfigunt, *Psal., XXXI, 4: Conversus sum in arumna mea, dum configitur spina; spinus et tribulus germinabit tibi,* dictum est primo legis divinæ prævaricatori. Per dulcedinem et suavilatem uvarum et ficuum, quies et gaudium bonæ conscientię denotatur, hoc autem spirituali gaudio nemo inter puncturas remorsuum, inter anxietates et perturbaciones inordinatorum appetituum frui poterit. Unde apte huc quadrat illa S. Augustini sententia, *Serm. 1 de temp.,* dicens: « *Quam infelix est illa conscientia toto lacrymarum fonte « lugenda, quæ se ita malis operibus eruentavit, « ut in ea non Christus requiescere, sed diabolus « incipiat dominari!* »

**21.** — S. Anselmus per hæc spinas quoque hæreticos interpretatur: « Lacerant et pungunt « mentes hominum; uva est fervor dilectionis, « sicut dulcedo bonæ conversationis; sicut ergo « de spinis non nascuntur uvæ, neque de tribulis « ficus, sic nec hæretici fervent in dilectione, nec « student in bona operatione. »

#### Additiones.

**a.** — *A fructibus eorum cognoscetis eos,* etc. D. Paschasius, *lib. IV in Matth.,* scribit, quod isti falsi prophete quamvis veniant in vestimentis ovium, summ venenum tamen produnt, per mala opera. Hugo Cardinalis hæc verba ad ambitiosos trahit, dicens: « Principatus virum ostendit: *A fructibus eorum cognoscetis eos,* quando scilicet sunt in « dignitatibus, tunc ex fructu apparent quales prius « extiterint. » Nam multi antequam obtineant dignitatem, se præbent in vestimentis ovium, nequiter se humiliando, ut eam valeant comparare; at post obtentam, malitia quæ intus latebat prodit, et se exhibent tanquam lupos rapaces, ut omnia devorent, omnesque mordeant atque dilacerent.

**b.** — Acute more suo, D. Chrysostomus, *Serm. XVII,* ait: « Flores multi multitudinem fructuum « pollicentur, sed examinati ventorum flabris, ad « fructum paucissimi perseverant. Sic credentes in « Christo, multi in Ecclesia videntur in pace; ubi « autem persecutionis procella perlaverit, pauci « martyres reperiuntur in fructu. » Agnoscendæ ergo arbores in Ecclesia, non a floribus, ait Dominus, sed a fructu. Multi enim in serenitate temporis multos fructus patientiæ et perseverantiæ ostendunt, multosque fructus promittunt; sæviente ta-

men tempestate persecutionis, paucissimi perseverant ad fructum. Vis ergo noscere, an homo vere Christianus sit? hos fractus respice: nam Christiani hominis verus character est patientia et perseverantia. S. Paulus Apostolus Corinthios quos ad fidem converterat, catechizare volens, virtutem perseverantiæ in bonis operibus, utpote veri hominis Christiani characterem præcipue commendavit, dicens, *I Cor., XV, 58: Stabiles estote et inamovibiles, abundantes in opere Domini semper.* Nam ut S. Hieronymus in epistola quadam ait: « Non quæruntur « in Christianis initia sed finis. Paulus male cepit, « sed bene finivit; Judæ laudantur exordia, sed « finis proditiõe damnatur. » S. Augustinus usque ad triginta et amplius annorum ætatem sensualitati habenas laxavit; respiscens autem, divinoque se servitio addicens, ad ultimam et decrepitam usque ætatem baptismalem conservavit innocentiam.

S. Petrus primos fideles et cum illis omnes successive illorum posteros; in epistola sua paterne monet, ne in hoc nimirum confidant, quod scilicet ad fidem vocati fuerint, nisi etiam eidem per opera bona perseveranter fuerint cooperati: *Sutagite,* inquit, *ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Quoniam vero modo vocationem nostram certam facere possumus, Glossa nos docet, inquit: « *Certam facit vocationem qui in bonis « operibus perseverat.* » S. Paulus, *Heb., XII, 3,* Redemptorem nostrum nobis proponit velut perseverantiæ finalis speculum, ut nos animosos reddat ad usque in finem christiane operandum. Ait enim: *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigaret animis vestris deficientes.* In *Apoc., II, 10,* Deus nos exhortatur: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ.* Circa quæ verba Rupertus Abbas ita scribit: « Eiusdem perseverantiæ quam persuadet dicit dicens: *Esto fidelis usque ad mortem,* in « semetipso exemplum præbuit, factus obediens « usque ad mortem, mortem autem crucis. »

**c.** — Præcepit Dominus cavendos esse lupos, scilicet, falsos doctores, hæreticos ac etiam hypocritas, latentes sub ovina pelle, hoc est, sub composito ac simulato habitu exteriori, et quia ocella cordis hominis sunt abscondita, dat Dominus signum per quod eorum malitia deprehendatur: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Sæpe enim hypocritis cum magna ignominia detegitur. Noverint hypocritæ ex primo et æternæ veritatis testimonio se manifestandos et confundendos esse; postquam enim discipulos suos et sequaces Dominus admonisset, *Luc., XII, 2,* dicens: *Attendite a fermento Phariseorum, quod est hypocritæ,* mox crimen hoc infallibiliter manifestandum esse docet, dum subjungit: *Nihil autem cooperatum est, quod non revelabitur, neque absconditum, quod non sciatur.* Quod textum Salmeron sequenti illustrat Glossa, dicens: « Rationem

« affert vitandae hypocrisis, ex eventu contrarii, « nam propterea homines hypocrisis vitium secantur, quia existimant hoc vitium suum latere posse; et propterea subjunxit, nihil esse tam apertum in praesenti vita, quod non sit revelandum et discoperiendum, non solum in alia vita, « sed etiam in praesenti. » Toletus pariter idem hujus conjunctionis verbum considerans, ita discurre: « Hypocrite, quae secreta cordis sui sciunt, « occultant dissimulatis intentionibus et cogitationibus; cumque intus mali sint, boni tamen « apparere procurant; ideoque dicitur, nunc quod « occultum est, revelandum. Praeterea hypocrita « cum a nemine videtur, opera etiam exteriora « mala facit, turpiterque vivit, contentus ea bona « exteriora facere, quae apparent; per haec enim « existimat se gloriam hominum adipisci; ideoque « adjungit Dominus, abscondita etiam sciri debere « et prophananda esse. »

**d.** — Infallibilis est arboris cognitio, quae ex ejusdem habetur fructibus; aliquando nihilominus fallit regula haec universalis; siquidem saepius arbori species inseritur diversa, sicut prodeit fructus non proprios. Talis quoque inter fictas, seu hypocrisis, nec non inter virtuosas atque perfectas animas intercedit differentia, ita ut semper infallibilis maneat Christi axioma dicentis: *A fructibus eorum cognoscetis eos*; quia Angelico Doctore teste: « Dicendum quod potest vix aliquis hypocrita ita « esse compositus, quod non appareat aliquid malitiae, vel verbo, vel facto; quomodo in aquis « resplendunt velut prospicientium, sic corda « hominum manifesta sunt prudentibus. »

**e.** — In primis indicibus hypocritarum a sacris Expositoribus adductis, S. Bonaventura illud adducit, quod et a Salvatore in specie notatum fuit, scilicet: « Hi sunt, qui minima praeferebant maxime. » Ideoque Christus is minatur dicens, *Matth., xxiii, 23: Vae vobis Scribae et Pharisei hypocrite, qui decimatis mentham, et anethum, et cymum, et reliquistis quae graviora sunt legis, iudicium et misericordiam, et fidelem.* Quod et idem Seraphicus Auctor alio in loco repetens ait: « Magna scelera perpetrant et modica peccata devitant, colantes culicem « et camelum glutientes. » Quod ut confirmet scrupulum Scribarum et Sacerdotum manifestat, quem habebant in inferendo pedem in praetorio Pilati, ne contaminarentur, quae Pascha celebraturi erant; siquidem se puros, mundosque rebantur, licet alia ex parte mortem Filii Dei urgerent quam instantissime; ideoque ait: « Magis timerunt intrare « praetorium Pilati, quam nequissime procurare « crimen homicidii. » Utpote qui absque scrupulo clamabant: *Tolle, tolle, crucifige.*

**f.** — Hypocrite solam sectantur apparentiam exteriorem, non solliciti de substantia: *Ut appareant hominibus jejuniis.* Omnia opera sua faciunt

ut videantur. Hinc Salvator Apostolos, omnesque alios sequeaces suos sollicite admonuisse legitur, *Matth., xxiii, 5: Cum oratis, non eritis sicut hypocrite, qui amant in synagoga et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Ubi notandum est verbum, *amant*, quia scilicet affectant et concupiscunt videri ab aliis. Quin et Auctor Imperfecti Christum non prohibuisse advertit orationes in plateis, sed fieri *in angulis platearum*: « Christus non dixit in plateis, » inquit ille, « sed in « angulis platearum; ut ne, si in plateis oraverint, « quasi religionis simulatores vituperentur, sed in « angulis, ut videantur in abscondito orare; astuta « vanitas: sciunt enim quia hoc ipsum abscondite « orare laudabilis est, ideo fingunt se abscondere, « ut dupliciter laudentur; primo quia orant; secundo quia abscondite et in hoc amplius manifestant quod se abscondunt. »

**g.** — Hypocrite a Christo lupis assimilantur, dicente: *Intrinsecus sunt lupi rapaces.* Quae vero inter lupum et ovem est differentia? Nimirum haec vultu terram versus balatum edit, ille vero ululatu vultu coelum versus elevato: ita quoque qui virtute solida pollet, de se humiliter sentit, seque mortificari credit dum laudatur, et estimatur ab aliis; homo vero fictus, virtutemque simulans, applausus seclatour, nec aliud querit, nisi ut ab omnibus indigetetur et magnificetur. Unde S. Gregorius, *lib. VIII Moral., xvii*, inquit: « Multa hypocrite in « occulto mala faciunt, quaedam vero bona in « publico, cum ex bonis patentibus laudes recipiunt, ab occultis malis considerationis oculos « avertunt, talesque se existimant, quales foris « audiunt, non quales se intus noverunt. » Contristantur, dum se ab aliis aspernari et mimici fieri vident; e contra vero, qui vere humilis est, contemni se et gaudet et amat.

**h.** — Discipulis in quodam sermone hoc novum hypocritas cognoscendi signum addocuit, inquiens: « Cognoscuntur etiam, quando nimis humilia de « seipsis dicunt, et eadem ab aliis de se dici audire « nolunt, sicut aliqui dicunt: Ego sum malus et « pessimus; sed si hoc aliis de illis proferret, non « hoc sustinerent, sed protervis verbis, contradicerent. » In cujus confirmationem, exemplum ejusdem mulieris, quae viam spiritualem magnis passibus secundum appartentiam sese currere ostendebat. Quae confessorii sui saepius se recommendabat orationibus, ut pro se intercederet, utpote tantorum criminum rea, tante male vite femina, ut propter peccata sua, non modo sibi, sed et severum aliis timeret infligendum supplicium. Tunc Sacerdos ut vir discretus, voluit experire, utrum esset sibi fundamentum vere humilitatis. Sed qualiter eum veram a ficta virtute discrevisse putavit? Audite medium. Cum itaque mulier eadem, alia vice replicaret se omnium esse pessimam et flagitiosissi-

mam, mox tum Sacerdos subjungit: « Haec ego « saepius audivi antea de te dici. Tunc illa immoderate commota dixit: Mentiris ad collum vestrum, « et quicumque vobis dixit, vel de me talia locutus, « similiter mentitur, quia nunquam fui talis, sicut « vos asseritis. Tunc Sacerdos humiliter respondit, « dicens: Modo ego intelligo superbiam et hypocrisis, quia tu loqueris de teipsa, quod ab aliis « indignaris audire. »

**i.** — *A fructibus eorum cognoscetis eos.* « Id est, » inquit Dionysius Carthusianus, « ex operibus eorum « cognoscetis quales intrinsecus sunt, quia si diligenter considerentur inveniuntur vane religiosi, « non humiles; sapientes in oculis suis et proprii « sensus, non veraciter patientes, sed privato amore « et aliquibus singularibus vitiis deformati. » Se spirituales ostentant, alienas reformant domos, novas condunt leges, a quarum observantia seipos eximunt, dicente coelesti Magistro: *Alligant onera gravia et importabilia in humeros hominum, digito autem suo volunt ea movere.*

**j.** — Agnoscuntur insuper hypocrite ex repugnantia, qua admoneri et corrigi se molestissime ferunt. Hinc S. Bonaventura illa Christi considerans verba: *Hypocrite, eice primum trabem de oculo tuo*, ita discurre: « Hypocritam vocat talem judicem « temerarium, qui in iudicando alios ostendit et « pretendit zelum justitiae, et seipsum non iudicando habet vitium intus latens superbiae. » Unde Gregorius: « Hypocrite caeteros reprehendit, ut in « aliorum comparatione sanctorum videatur. » Et alio in loco, idem S. Gregorius ait: « Sanctus esse « non appetit, sed vocari, et cum fortasse corripitur « quasi in opinionis gloria detruncatur. Deprehensus « sum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet, quia velut in occulto vulnere « tactus dolet. » Seniores illi populi Babylonici iudices, quantum non exhibuerunt zelum et severitatem, in castigando adulterio, de quo ipsimet honestissimam Susannam tentarant, licet postea ejus innocentiam hac calumnia onerarent? Hoc autem eo praecipue fecerunt, ne ulla de occultis illorum malitia conciperetur umbra, vel suspicio: *Colantes culicem, glutientes camelum. Vident festucam in oculo fratris; trabem in oculo suo non considerant.*

**k.** — S. Joannes Climacus ait: « Hypocrite « quando quidem videtur latere, gloriam ex opinione venatur, justus apparet; ubi autem fuerit « deprehensus, virulentus et mortiferus calumniis « de aliis inspersis, suum dedecus et ignominiam « tentat velare. »

Salvator noster non sine causa Pharisaeis reprobravit, quod sepulchra in honorem Prophetarum erigerent. « Quid enim est edificare sepulchra ali- « qua, » inquit Hugo Cardinalis, « nisi corrumpere « ea, vel eis detrahare, quod proprium est hypocri-

tarum; et postea ornant ea, quoniam postquam « detraxerunt dicunt aliqua bona de eis, ut videantur non causa detractorum, sed compassionis « animo et affectu hoc dixisse. » Idem quoque hypocrisis indicium Salmeron his verbis manifestat: « Detegitur hypocritarum vitium qui maxime « rum suorum peccatorum oblii, semper inveniunt « in altero, quod calumniantur et reprehendant. » Salvator noster de illis dicit: *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Oves quippe dentes non habent scindentes, quemadmodum lupi, qui ea quae mordent, dentibus velut serra dividunt. Porro electi qui per oves intelliguntur, aliene fama minime detrahunt; hoc enim solum est hypocritarum proprium, qui nihil aeque libenter faciunt, quam quod detractoribus suis alios deprimant, ut per illorum vilipendium ipsi in conspectu mundi tanto magis elucescant.

**l.** — Abulensis de hypocrisis indicibus disserens dicit: « Cognoscuntur hypocrite, ex vite qualitate; « quia hypocrite nec est bonus, nec vult esse bonus, « sed solum videri bonus; ideo malum operatur, « sed studium suum est illud malum occultare, et « bonitatis speciem pretendere; si quis tamen « sollicite inquirat, facilius inveniit hypocritam « non esse id quod apparet. Licet aliquando solliciti caveant, non videantur opera sua, non possunt « tamen semper ad hoc esse attentii, et ideo interdum ipsi se manifestant, quia falsa non possunt « diu latere. » Idem quoque doctissimus auctor, ulterius dicit quod hypocrite nonnquam opera sancta et perfecta operentur, quia tametsi voluntatem, ut sint virtuosii et sancti nequaquam habeant, attamen ad virtuosae operandum, ab aestimatione et opinione mundi, quam desiderant, se adescari permittunt; adducitque sequens D. Chrysostomi testimonium dicentis: « Facile hypocrite capiuntur, « via enim qua jussi sunt ambulare, laboriosa est. « Hypocrite autem laborare utique non eliget, et « sic capitur ex fructibus, id est, ex operibus, et « isti sunt fructus carnis, de quibus Apostolus ad Galatas, v, 19: *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt « immunditia, etc.* » S. Gregorius verba illa: *Tigris perit*, exponens, inquit: « Nimirum omnis hypocrite erit tigris est, quia dum mundus color de simulatione ducitur, vitorum nigredine interrumpente variatur. Saepe enim dum de castitatis « munditia extollitur, sordis avaritiae fodatur; saepe « dum de virtute largitatis speciosus ostenditur, « luxuriae maculis inquinatur; saepe dum castitatis, « atque largitatis decore vestitur, velut ex zelo « justitiae, crudelitatis atrocitate fuscatur; saepe « largitate, castitate, pietate et pulchra visione « induitur, sed interfusca obscuritate superbiae notatur. »

**m.** — *A fructibus eorum, etc.* S. Antonius de Padua inquit: « Attendite a falsis Prophetis, qui, ut

« dicit Glossa, maxime per impatientiam discernuntur, in tempore adversitatis; cum enim pro-  
« peritas aridat, pelle sub agnina corda lupina  
« latent; sed cum adversitas flavescit, pellis oris  
« laceratur. » Infallibile verè virtutis iudicium  
est, si quis in adversitatibus sit patiens; *non enim  
contristabit justum quidquid ei acciderit.* Prov., xii,  
21. Tangat quis hypocritam in emolumentis, in  
estimatione et reputatione propria, vel in alia  
quapiam re, in qua necessum est ut genium et  
inclinationem suam deponat, et statim apparebit  
quid sit. *Tange montes et famigabunt.*

**II.** — *Nunquid colligunt de spinis uvas et de  
tribulis ficus?* Non sine mysterio Dominus, hic pro  
cæteris fructibus, in exemplum adducit uvas et  
ficus. Quod pulchre explicat D. Chrysostomus,  
*Hom. xix*, qui ibidem per uvas et ficus, unionem  
et charitatem adumbrari insinuat: « Sicut enim, »  
inquit, « botrus multa in se grana ligno mediante  
« suspendit, sic Christus multos sibi fideles, per  
« lignum crucis adjunctos. Similiter et sicut ficus  
« multa grana uno tegmine tenet inclusa, sic et  
« multos fideles quodam dulci charitatis amplexu  
« una tenet Ecclesia. » Optime ergo ad agnoscen-  
dum fructus veri, vel falsi Prophætæ, ponuntur  
in exemplo uvæ, vel ficus, quæ unionem et charitatem  
adumbrant. Charitas enim in proximos et dilectio,  
verus est character, quæ Christiani ab aliis discer-  
nuntur. *Luc.*, ix, 55, invenimus celestem Magistrum  
graviter increpasse duos fratres discipulos, sibi  
ceteroquin acceptissimos, nimirum S. Jacobum et  
S. Joannem; dicit enim Evangelista: *Conversus  
increpavit eos dicens: Nescitis cujus spiritus estis.*  
Non est utique dubitandum quin ambo magno  
fuerint spiritu a Deo dotati, et tamen non sine  
causa is qui dixerat: *Discite a me quia mitis sum,*  
magna cum severitate illos increpavit. Sciendum  
igitur est, quod cum Samaritani Christo, et duobus  
his Apostolis ipsam associantibus, ante faciem por-  
tas occlusissent, duo hi discipuli, illatam Christo  
injuriam zelare et vindicare volentes, dixerint: *Vis  
dicamus, ut ignis descendat de celo et consumat illos?*  
Et ecce mox Christus illis indignari cepit et con-  
versus increpavit illos, simulque insinnavit novæ  
legis gratiæ, ad quam ipsi spectabant, spiritum in  
remissione injuriarum, necnon in reddendo bonum  
pro malo consistere. « *Nescitis cujus spiritus estis,*  
« id est, » ut Salmeron ait, « ignoratis vos non  
« spectare amplius ad vetus, sed ad novum Testa-  
mentum in quo Spiritus et doctrina datur ad  
« habendum omnes homines pro amicis. Hoc est  
« enim mandatum novum, ut diligamus invicem,  
« sicut ipse dilexit nos, quia cum inimici essemus,  
« ipse et dilexit, et reconciliavit nos Patri. Ideo  
« novum mandatum dicitur quia diligendi etiam  
« inimici, quia nos tales dilecti sumus a Deo. »  
Charitas quidem in proximos nos vere fideles et

Christi discipulos esse ostendit; hujus autem dilec-  
tionis defectus convincit nos demonis esse sequa-  
ces.

**O.** — Quam inepte spinas eligeret, qui divitem  
sibi vindemiam parare desideraret? Quis enim a  
spinis speret uvas? Quis a mala radice, a mala  
nominis indole, perversoque ingenio, dulces speret  
virtutis et placidæ quietis fructus? Sicut enim  
impossibile est, quod spinæ uvas proferant, sed  
bene puncturas et vulnera, ita nec peccatum,  
quietem, consolationem, sed labores, inquietudi-  
nes, ærumnas; quibus peccatores dum satisfaciunt  
appetitibus, se pungi et laborare sentiunt. Nam  
inquietudines et ærumnas peccati sunt partus.

**P.** — Quis speret a spinis uvas? Quis a mala  
radice et amara, dulces et sapidos fructus? Id  
solum speret qui novit Creatoris potestatem et  
infinitudinem. Sententiose dixit D. Basilus: « Deo  
« nihil impossibile pronuntiatur; nam ubi opus  
« molitur, impossibile Deus demolitur. » Leo virus  
os fertur habere fetidissimum; destruitur leo et in  
ore fetido mel reperit dulcissimum Samson. Quis  
autem de foetenti leone speret mel dulce? Respondet  
pulchre Cassiodorus, *lib. de anima*, xix: « Nosti  
« etiam benefacere per iniquos, convertens in  
« adjutorium, quod paratum est ad nocendum; »  
« potentius esse judicandis, lesiones ad utilitatem  
« convertere, quam causas malorum a radicibus  
« amputare. » Spinæ sunt mala vita et exempla  
pravi concionatoris; uvæ, verbum Dei a tali prædi-  
catorum. Licet ergo ab impiis hominibus verbum Dei  
prædicetur, ejus tamen auscultatio nullatenus inter-  
mittenda, nec illius fructus negligendi sunt. Item  
Deus novit ex malis elicere bonum, odiumque  
dæmonis in nostrum bonum usus vertere.

## VERSUS 47.

*Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala  
autem arbor malos fructus facit.*

*Sic omnis arbor bona bonos fructus facit.*

**I.** — S. Bonaventura, *Serm. iii in hac Dom.*,  
dicit: « Bona arbor est bonus homo. » *Luc.*, vi,  
43, Sapientia incarnata similiter hominem arbori  
assimilat. *Matth.*, viii, 24, cæcus ille illuminatus  
dixit: *Video homines velut arbores.* Psalmista quo-  
que, *Psal.* 1, 5, hominem sub eodem symbolo de-  
scribit, dum ait: *Erit tanquam lignum, quod planta-  
tum est secus decursus aquarum, quod fructum suum  
dabit in tempore suo.* Radix ejus caput dici potest  
esse, truncus corpus, rami brachia, cortex pellis,  
anima præcordia, viscera bonorum operum fructus.  
Philosophi antiqui et inter illos Plato in suo *Timæo*,  
hominem arborem inversam vocat, atque insuper  
dicit, quod boni radices suas cœlum versus proten-  
sas habeant, e contra vero mali radices suas in

terra profundè impertit, dum affectibus suis, hisce  
bonis terrenis immersi sunt: *Psal.* xliii, 25: *Conglu-  
tinatus est in terra venter eorum.* Ad hoc ut arbor  
aliqua fructificare possit et a ventorum furia nequa-  
quam evelli queat, opus est ut radices suas profundè  
agat; quanto enim hæc profundius in terræ sinum  
descenderit, tanto magis ramos suos protendet in  
altum; eodem modo quanto magis homo in humi-  
litate stabilitus fuerit, tanto constantius omnes ex-  
cipiet tentationum ventos, majoraque in virtutibus  
et profectioe incrementa suscipiet.

**2.** — Nam ut Guericus Abbas de humilitate  
optime scribit: « Humilitas est omnium radix, et  
« seminarium, et fomes ac incentivum virtutum, et  
« ipsa cumulus, et fastigium, custodia et disciplina; »  
« ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa  
« consummantur. »

**3.** — Quanto radices arboris alienjus profundus  
sub terra sepultæ et reconditæ fuerint, tanto copio-  
sius in arborem, humorem influent vitalem; de-  
tectæ vero radices faciunt ut arbores exsiccationis  
periculum incurrant: ita quoque quanto magis vir-  
tutes, dona, gratiæ et opera bona ab oculis et  
applausibus humanis occultantur, tanto aptiores  
erunt homines ad cœli beatitudines consequendas: *Simile  
est regnum colorum thesaurorum, sed in agro  
abscondito;* unde S. Isidorus « Cœlum a celando »  
dici asserit. *Isaïæ*, xxiv, 16: *Secretum meum mihi.*  
Arbor in trunco difformis est et rudis, aspero et  
hispidio cingitur cortice, et tamen intus medullam  
habet, quæ tenera est, et delicata, quæ in omnes  
se arboris partes universim insinuat, atque foliis  
viriditatem, colores vivaces floribus, fructibus sapo-  
rem imperitur; eodem modo in homine, spirituali  
vitæ dedito, foris apparet pallor in vultu, austeritas  
in vita exteriori, sacco amictus, fune grosso cin-  
gitur, nudis incedit pedibus, vivit abstinenter, con-  
tinuque se exercet rigoribus; interiori vero laborat  
in ipso divina gratia, serenitate gaudet bonæ con-  
scientiæ, virescit in corde ipsius spes æternæ retri-  
butionis, bona in eo florent proposita, maturantur  
in ipso Christianarum fructus virtutum; per hujus  
quoque mysticæ arboris radicem intelligere possu-  
mus fidem, per truncum spem, per ramos in varias  
sese partes protendentes, charitatem, quia ut ait  
Apostolus, *I Cor.*, xiii, 4: *Charitas patiens est,*  
*benigna est, non æmulatur, etc.* Per medullam in-  
telligi potest recta intentio, per exteriorem corticem  
virtuosa conversatio, actiones bene ordinate  
per folia, per flores bonum nomen et fama bona,  
per fructus denique bona conscientia. Ex unica  
duntaxat radice humor transmittitur ad varios eidem  
insertos surculos, qui varios producunt fructus, juxta  
diversitatem surculorum insitorum; ita quoque cha-  
ritas, quæ unica et sola est instar radices, intus in  
anima nostra dat varios extenditur affectus virtu-  
tum.

**4.** — *Fructus autem Spiritus, charitas, gaudium,*  
*pax, etc. Gal.*, v, 22. Arbor non producit fructus  
ad propriam utilitatem, sed pro aliis; nec illos sibi  
retinet, sed agricoltæ suo liberaliter exhibet; et  
præter fructus, ipsam quoque lignorum suorum,  
ad ignis nutrimentum, participem efficit; hunc  
eundem effectum in bonis arboribus experimur,  
id est, in servis Dei, vera charitate accensis: *Cha-  
ritas non quærit quæ sua sunt,* quidquid enim ha-  
bent et quidquid operantur, in boni communis  
utilitatem semper cedit, ac demum de omni opere  
suo gloriam Deo referunt. Arbor eadem cum tole-  
rantia exposita manet benignis temporum influen-  
tiis, quæ tempestivitas, glaciæ, pluvie, aliisque  
injuriis aeris: ita quoque homo justus cum eadem  
ad divinam voluntatem conformitate excipere debet  
adversa, quæ prospera, cumque eadem animi serene-  
tate recipere debet contumelias, quæ honores;  
infirmities, quæ sanitatem; paupertatem, quæ divi-  
tias: *Prov.*, xii, 21: *Non contristabit justum quidquid  
acciderit ei.* Arbor ne sterilis evadat, cultura opus  
est, debentque ei amputari omnes illius rami  
exarcescentes, ac demum rigari debet de tempore  
in tempus; ita quoque anima ad perfectionem con-  
tendens, continua indiget in virtutibus et in spiritu  
cultura, patienterque sustinere debet, ut mortifica-  
tionis ferro ab ea resecentur omnes affectus et  
appetitus inordinati, qui ab hac nostra natura cor-  
rupta et depravata alias continuo pullulant, quia  
alias periculum esset, ne arbor ad nihil aliud utilis  
esset, quam ut ligni instar in igne infernali perpetuo  
arderet, rigari quoque debet honorum æternorum  
mediationem, per librorum sacerorum lecturam,  
perque veræ cujusdam penitentis lacrymas  
et amarum plancum.

**5.** — Enimvero qualis hujus arboris bonitas esse  
debeat, ex supradicto Psalmi loco facile potest de-  
duci; ibi namque dicitur: *Lignum quod plantatum  
est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit  
in tempore suo, et folium ejus non defluet.* Arbores  
enim juxta aquas plantatæ præ cunctis aliis facilius  
crescunt et eriguntur in altum, profundioresque  
agunt radices, ideoque sunt stabiliores; porro pro-  
pinqunitas aquarum est frequentia sanctissimum  
Sacramentorum, hæc enim animas efficit stabilio-  
res in virtutibus, fortioresque reddit ad resisten-  
dam cuivis vento tentationis, ac demum celestia  
nobis desideria imprimunt et affectus. *Fructum  
dabit.* « *Fructum,* » inquam, ait Hugo Cardinalis,  
« non vero solum germen cogitationis, aut florem  
« propositi, aut folia verborum; » neque enim  
bona voluntas, ad recta intentio sufficit, quando ei  
simul correspondere possunt bonis operibus. No-  
tandum quoque quod Psalmista dicat: *Fructum  
suum,* « in se scilicet, » ut idem Hugo ait, « non  
« vero tantum in aliis. » *Quid prodest homini, si  
mundum universum lucretur, animæ vero suæ detri-*